

Sub viri potestate eris, ipse dominabitur tui. Fol. 463.

AUCTORITATIS PERIPHRAISIS.

DIDASCALIARUM SYNOPSIS.

- | | |
|---|--|
| 1. Sub viri potestate eris. Ut sis potens, eris sub viri potestate. | DIDASC. 1. <i>Femina multivola, & vaga.</i> Fol. 496. |
| 2. Sub viri potestate: quia tibi nulla sine potestate viri. | DIDASC. 2. <i>Nascitur mulier, ut seruiat.</i> Fol. 499. |
| 3. Sub eris, amore; non ut fallaci dominicis servitute. | DIDASC. 3. <i>Femina docta ad malitiam.</i> Fol. 503. |
| 4. Sub eris; ut non sis sub. | DIDASC. 4. <i>Ingentis magnitudinis est, suam cognoscere parvitatem.</i> Fol. 507. |
| 5. Sub eris; ut rectè sis. | DIDASC. 5. <i>Perfectionis matris obedientia perfecta.</i> Fol. 510. |
| 6. Sub eris, etiam correctione dilectionis: aliter non vel correctà corrigèris. | DIDASC. 6. <i>Temporibus medicina valet.</i> Fol. 515. |
| 7. Sub viri potestate, & voluntate: quippe tua voluntas in potestate voluntatis viri. | DIDASC. 7. <i>Ut placeas, debes immemor esse tui.</i> Fol. 521. |
| 8. Sub viri potestate: si vir, dominare: si non vir, ut vincas, fuge. | DIDASC. 8. <i>Intuori non decet, qua non licet concupiscere.</i> Fol. 527. |
| 9. Ipse dominabitur: ne qui subest, dominantem dominetur. | DIDASC. 9. <i>Comprimat caro, ni comprimatur.</i> Fol. 534. |
| 10. Dominabitur, & eris sub potestate, quippè servies servitute. | DIDASC. 10. <i>Femina non habet patriam.</i> Fol. 538. |
| 11. Dominabitur in potestate, qui dignus: indignus vel in potestate non dominus. | DIDASC. 11. <i>Quod non dedit, fortuna non eripit.</i> Fol. 543. |
| 12. Dominabitur iuxta legem: ultra vel potens non habebit potestatem. | DIDASC. 12. <i>Non utendum imperio, ubi legibus agi potest.</i> Fol. 548. |
| 13. Dominabitur, penes amoris studium, ut habeat verè in potestate dominium. | DIDASC. 13. <i>Ferè idem excitas odij, ac amoris insani.</i> Fol. 552. |
| 14. Dominabitur dilectione, potentiore potestate. | DIDASC. 14. <i>Nilil tam regium, nihil tam musicum, quam potestas humanitate comite.</i> Fol. 557. |
| 15. Dominabitur qui praesto tibi. Si dominus, tibi praesto. | DIDASC. 15. <i>Christi Ascensio nostra provecchio est.</i> Fol. 560. |
| 16. Dominabitur & praesto tibi: ut sit praesto, subest potestati. | DIDASC. 16. <i>Deus omnibus praesto adest.</i> Fol. 564. |
| 17. Dominabitur. Homo refugium, foeminae. Aliquando foemina refugium hominum. | DIDASC. 17. <i>Virgo Maria thesauraria gratularum.</i> Fol. 568. |
| 18. Dominabitur. Si refugium, ergo exhibendum obsequium. | DIDASC. 18. <i>Non plene Virginem laudat, qui laudat tantum.</i> Fol. 575. |
| 19. Dominabitur tui, ratione: & potius ratione cum gratiosa veritate. | DIDASC. 19. <i>Amara est veritas sine condimento gratia.</i> Fol. 579. |
| 20. Ipse Dominabitur tui. Ipse tui, si tu ipse: imò gratia favoris, quantumvis iugum velis excutere potestatis. | DIDASC. 20. <i>Christus nascitur in lucem Gentium.</i> Fol. 583. |

TAU



TAUTOLOGIA PRIMA.

TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA.

Genes. 1. vers. 2.

EXPOSITIO LITERÆ.



OELO, & terra creatis, futurorum Cosmopœia summo specimine, antequàm illud floridis pingeretur sideribus, lucidis ista præstare et pulcherrima floribus; priusquam flumina vorticibus terras invaderent, & colles celsitudinem verticibus parturirent, antequàm fontes aquarum erumperent, & montes gravi mole consistant; priusquam lege, & gyro Deus vallaret abyssos, & circumdaret mari terminum suum, lata lege, ne transiret fines suos; antequàm insisset (ut canit ex Ovidij, *lib. 1. Metam. Fab. 2. v. 22.* Lactant. Firm. *Divinar. insit. lib. 2. cap. 15.*

— Extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes:
(Quis modus in toto? Quæ summa? In munere cuius
Excelsi convexa poli, terræque iacentes
Pars prima est operis: sed ternas texerat æquor,
Ævæque in medio sordenti nube madentem,
Umbra poli densis surgebat cæca tenebris,
Et sacer extensis impendens spiritus undis,
Atrices animabat aquas, ac semina rerum
Nondum compositis fundenda ad germina terris
Insinuanda dabas.

Succinit Marius Victor *lib. 1. in Genes. v. 50.* Accinitque Tertullianus, vel ut doctores palæophilii arbitrantur, Cæcilius Cyprianus in *Descript. Genes. v. 1.* elegantia venulitæ hy-

potiposeos:
Principio Dominus cælum, terramque creavit,
Namque erat informis, fluctuque abscondita tellus,
Immensisque Deus super æquora vasta meabat,
Dum chaos, & nigra fuscabant cuncta tenebræ.)

Citiusquam appareret arida, librando pondere fontes aquarum, & ex his quicquam faceret à principio; quando Spiritus Dei ferebatur super aquas, & tenebræ erant Super faciem abyssi; quando denique aquas metiebatur pugillo, cælos palmo, & molem terræ tribus digitis appendebat; de hac dicitur: *Erant inanis & vacua.*

2 Apud Ethnicos status hic rerum dicitur Chaos: (vide Plutarchi de *Isid. & Osirid.*) non quatenus unus erat Nature vultus in orbe, vasta & inculta moles (quo sensuetiam à Catholicis iure dicitur Chaos) sed quatenus in illo cum nihil, uti asfrunt, esset creatum; non bene iunctarum erant congesta semina rerum: de quo Nos *infr. num. 26.* Unde Hesiodus in *Theogonia* ait:
Primum quidem omnium Chaos:
Et Silius Italic. *lib. 11. de Bell. Punic.*
Namque Chaos, cacamque quondam sine fidere molem,

Tom. I. Taut.

Ovid. Lact. Firmian.

Mar. Victor.

Tertull.

Genes. 1. 2. Chaos apud Sib. in Theogonia Hesiod. Sil. Italic. Non

Idem.

Volitans sub verbere turbo
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

His ergo acceptionibus potest dici Terra vacua, vasta, lata, ac spatiosa: nam illo in articulo carebat plantis, animantibus, feminibus, gramine, luce, infertatione, cultu, amnibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, collibus, metallis, mineralibus, lapillis, & gemmis, ad quae omnia naturalem, & inditam inclinationem habet; & sine quibus (rebus ut nunc) proprie vacua poterat dici. Hunc orbis articulum, & primam mundi scenam, quasi paremiam filijs Iudae describit Jeremias: vt foris insipientes, & recordes, terram Israel talem esse per culpam, qualem in principio extitisse inanem & vacuum. *Aspexi (ait) terram & ecce vacua erat, & nihil & caelos, & non erat lux in eis Intuitus sum, & non erat homo. Deserta erat omnis terra, Deserta quasi non esset.* Unde Ovidius lib. 1. *Metamorph. Fab. 7. v. 413.*

Terent. 4. 2.

Ovid.

Hebr. Aquil. Theod.

Terra serax, dum terra fuit.
Non quia non esset terra, sed quia Cataclysmi aquis, esse fructus ferret, ad usum hominum nihil & nihilo. Ita Hebr. hic legit: *Terra autem erat nihil, & nihilum.* Aquila, *Vacuitas, & nihil.* Theodor. *Inane, & nihilum:* siquidem quod inutile, nullum iudicatur. Quo sensu nulla dicuntur inania, quorum exemplis plena sunt folia.

Nos in terra pro ma creatura vivimus. Plato. Philo. Caiet.

7. Pater vacuitatis & inanitatis terrae intelligentia: at non ita, quid nomine terrae illotunc intelligatur? Plato in *Phaedone*, intellexit terram purissimam, quae in puro iacebat caelo, in quo nunc sunt Astra. Unde dicebat: *Nos in superficie terrae non habitare: siquidem quae a nobis incolitur terra, hicque lapis, totusque hic locus adesa sunt, atque corrupta.* Hic dormitavit Plato: igitur terram dedit *Deus filijs hominum:* ut dicitur hic v. 28. & cap. 9. v. 7. ac Psalm. 113. v. 16. *Vetus error abeat: quandoquidem vel Plinius lib. 2. cap. 63. inquit: Sic plinum illa, ut caelum Dei.* Caietanus hic etiam terram appellat puram, id est mistum in se nullum corpus habentem. Verum pura nequibat esse aquis completa & oppleta, maxime fecundum qualitates: igitur cum terra propria fit siccitas, vt dicitur hic vers. 9. *Apparet arida:* & Psalm. 94. v. 5. *Siccam fundaverunt manus eius; summam siccitatem habere non poterat propter aquas.*

Philast. Quislibet

Terra non est animal. Seneca. Diogen. Laert. Cicero. Plutarch.

8. Secutus est Platonis somnium (nescio, an ab Heterodoxis, quorum deliria descripsit, & impugnavit, operibus intrusa fatuatis) Philastrius Episcopus, Brixienis S. Ambrosij coevus in *Catalogo Hareseon*, ubi, *Hareseos (ait) insimulandi sunt, qui dicunt Moysen nomine terrae in principio creatae, significare voluisse terram hanc nostram elementarem: cum a Mose significetur alia quadam terra, quae est velut matrix omnium rerum, quae in Scriptura vocatur Hyle, id est, materia invisibilis, & incomposita, quae a Deo facta est in principio. Hac autem nostra terra facta est deinde, & fundata super aquas. Illa verò matrix omnium terra immensa est, & terram continens.* Hae ille, quae potius impugnatione, quam expugnatione proteruntur, sicut illorum qui dixerunt, *Terram animal esse, mobilitate fluctuare, gyrum agere, neque preter eam, rem ullam moveri.* Vide Senec. lib. 7. *Quaest. natur. cap. 2.* Diogen. Laert. in *Philolao.* Cicer. 4. *Acad.* Plutarch. in *Numa:* qui quidem etiam libell. de *Genitor. Anima* ait: *Materiam, aut Chaos, non incorpoream, neque immobilem, neque inanimem, sed insformem, & inconditum illud corporeum;* cuius delirio favet Pythagoras apud Ovidium lib. 15. *Metam. Fab. 25.* dicens:

Ovid.

Descart. Terra im mobilis. Christo-phor. Clav.

Utrum duplex terra?

Virgil.

Pomp.

Nam sive est animal tellus, & vivit: habetque spiramenta, locis flammam exhalantia multis.
Ride: igitur error Platonis peior prioris. Terram moveri autamarunt Copernicus, & Tycho. Rancidum ratiocinium, etiam iudice Senec. 7. *Quaest. Natur. cap. 2.* Renatus Descartes, ut ille ait p. 3. *Principior. Philosophiae* num. 19. *verius quam Tycho, & curiosius quam Copernicus* negat telluris motum, sed asserit deferri, transferri, duci, & circa suum axem verti, ibid. a num. 26. usque ad 30. & peripicius num. 150. Vide, si lubet, contraria vera & curiosiora apud Christophorum Clavium in cap. 1. *Spher. Ioann. de Sacro Bosco.*
9. His enim nanijs substituit memoriae *Entusiasmus* D. Iosephi Antonij Gundisalvi de Salas (haud mediocri eruditionis viri, nec in aula humaniorum literarum infimi subfelligi, ut patet ex *Comment.* in T. Petron. Arbitr. ac in *Poeticam* Aristotel.) *de duplici terra:* qui quasi aliquid magni momenti Ecclesiae afferret (quid attulit, videtur in T. Burnetio Anglo, de quo infra) gloriatur de inventiuncula, quasi de novo genere remi, ut dicebant Prisci, cum melius, *Hac incondita solus Montibus & silvis studio iactaret inani.*
Ipse suam cogitationem definit, cum in facie opusculi affigit illud Cn. Pompeij Magni ad Ha-

Meurnasseum: scilicet, *Hoc unum affirmo, cum res magnas nullo modo consequi posse, qui non minus modi etiam audeat, & suscipiat, in quibus errare necessum est.* Illustris profecto operis commendatio! Potitus est voto: siquidem furore poetico exuberabat cerebrum, dum de promptis non solum paradoxum, sed ludicrum enthusiasmum. *Iuvat, ait, ire per alta.* Maluit more Gracorum (de quibus Luc. *Actor. 17. v. 21.*) precipitari, quam humi serpere. In refert profano licet, invenit tot ineptias, quamvis delirium de *duplici terra,* non novum; ut recitet Moyses Barcephas, de *Paradiso,* Maluend. & Delr. *tom. 1. Adag. 789.* Adi Tom. 7. T. 9. a num. 10. Dicit mira de lente. Contemplare igitur conclusionem. *Relinquere nimirum* (inquit) *obrutam in posterum aquis primaeam illam telluris superficiem, quam mortales omnes usque ad diluvium incolere: & vicissim alteram alibi superficiem terrae, diversam provisis ab illa primaeam, post diluvium prodixisse, sedem subinde futuram viventium, cuius & incolae haecenus sumus, & erimus usque ad aeternum eius novissimum complementum.* Antichrones nequitiam fuisse ante alluvionem universalem astruit; & plagam illam telluris ingentem, cui haec advertebat nostra, mansisse sub aquis, quousque hic alter orbis deditur in caeli conspectum. Unde, illa priore terra, quae apparuit, sub aquis sepulta; nova, quae sub aquis iacebat, habitabilis perfluit nobis. Quid mi homo? Vir praclarus es. Si illa ingenis telluris plaga, cui haec advertebat nostra, erat sub aquis, & non se decenter in conspectum caeli hic alter orbis; ergo omnia erant sub aquis, vel emerere simul; quod quidem fatetur in primo, & tertio die Hexaemeri, de quo infra num. 30.

Salas.

10. Quo fulero vertatur huiusmodi alogia, vel alia in tragedia orbis telluris scenae; iure quidem inquire. Quia Pythagoras (ait) dixit apud Ovidium lib. 15. *Metamorph. v. 262.* *Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum: vidi factas ex aequore terras.*

Conti-tura Gū disloieti dūda. Ovid.

Vidit? Audis, & non achrilogus? Vidit? Mentitur aperte. Si in diebus suis; iam non terra duplex, sed triplex. Si in diebus Noë, mirabile prorsum: haud inficiabitur Pythagoras: siquidem se dicit tempore cataclysmi Noachum, sicut in bello Troiano se praedicabat Euphorbum. Poterat appositius, adhuc extra chorum saltans, roborare vercordiam ex lib. 1. de quo supra num. 6. *Terra serax, dum terra fuit.* Et lib. 15. v. 177. & 183. ubi.

Ovid.

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago, Et nova sunt semper, nam quod fuit ante relicum est, Fitque quod haud fuerat.

Idem.

Verum quid ex tanta mole? Otiosus fuit in negotio. *Nemo dubitabit* (ait Seneca de *Brevit. vite*, cap. 13.) *quin operose nihil agant, qui in literarum inutilium studijs detinentur, quae tam apud Romanos quoque magna manus est.* Gracorum iste morbus fuit, quare quem numerum esse auctoris. *Alia deinceps huius nota: quae sive contineas, nihil tacitam conscientiam in-p. 2. in Charact. Homin. literati, s. de Maledicentia; Hoc primum, ac peyinarium praeceptum observandum, ne inscitiam suam ipsamet inconsiderate aperiat.* Huicque opinioni aridet in sua Salas: etenim prope fin. *Stultitia sanè* (inquit) *adversabitur despectus. Quisnam eius rationem habeat, cui nulla ratio inest?* Haud invita Minerva fatemur. Amandanda sunt eiusmodi *stultae, inutilis, & vanae quaestiones:* ut iubet Apollolus ad Tit. 3. v. 9. *I. Tim. 1. 4. & cap. 6. v. 4. ac 2. Epist. 2. v. 23.*

Scudia inutilla quellio- nes nu- giv. da- la. Senec. Daniel. Baic.

11. Ad huiusmodi Chimeram firmendam, uti sophismatis simulachrum, & ingeniorum spectrum, ex Sacra Pagina quae non asfert? At quam frigide! Quam incongrue! Ad commentitiam opinionis cavillationem quidvis effudit. Litera Humaniores debent esse Sacrarum ancilla: secus autem mihi semper suspecta, quippe animus percellitur, & sinistrè pungitur, ubi intenditur quoddam Divina confirmet auctoritas, quae stolidè dixerunt Plato, Philolao, Pythagoras. Ideo contingit, ut nugacibula proposito astipulentur, quasi veritati Aristophanis Bombalobombax. Maledixit Deus terrae (inquit) propter originale piaculum: unde ipsam impuram amovens, & maledictam; in eius locum sufficit alteram mundam, & delectatam. Stoliditate ratiocinatio: quasi tellus, quae erat tunc sub aquis, immunis esset maledictionis. Unde ergo alia terra? Quia lota? Quod purificatur, postquam lotum non est idem? *Requirit Armenia super montes Armenia:* dicitur *Genes. 8. y. 4.* Est ne alia Armenia? Ramus olivae virentibus folijs, v. 11. fuit ne maritima ad delicias piscium? Favebit Plinius lib. 13. cap. 25. Illarum oleo minime perferretur Hist. natural. lucubratio. Nomina Plinium prodeuntium e Paradiso, & Regionum, quas a bluebant, habemus modo. Vide Christian. Adrichom. in *Theatr. Ter.*

Sapientia humana apertur Theologia ancilla Principia cavillationis de duplici terra. Genes. Plin. Chri. Adrich.

Terra Sancta. Qua via summa ad Nos devenerunt: Apparuit simul cum terra nova & munda nova Hevilath, idest India, seu Asia Maior, Nova Aethiopia, Nova Aethiopia, & Nova Syria: Ita legitur ante, & post Cataclysmum in Biblijs. Arefacta est terra: dicitur ubi supr. vers. 14. Si nova erat, improprè designatur arefacta. Congruum erit dici, Apparuit; sicut prolatum est tertio à creatione cap. 1. v. 9.

Genes. Quod non prodest, at citatur, non esse, & quod non apparet, perisse.

Eccle. Sancti. Ezech.

Septuag.

Daniel. Heins.

Ovid.

Senec. Novum pro illo vatum.

Gregor. Mag.

Ovid. Ioseph. Gelen.

Ovid.

Ioseph.

Psal.

Genes.

Ovid.

Alapid.

12 Fugit Doctores (subdit) is hoc inventum: quod claret cap. 6. vers. 13. ubi Deus comminatur: Disperdam eos cum terra. Maeste acumine Schollastes Petronij. Cum terra. Pingui Minerva cogitas. Cum terra, idest, à facie terre debes intelligere, ut dicitur, & dixerat dudum v. 7. finis erat univèrsæ carnis, non telluris: aliàs periret terra sicut caro. Frequens Scripturæ stylus est, ut quod non prodest, dicatur non esse, & etiam quod non apparet, perisse: de quo Nos alibi fuissemus. Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: dicitur Matth. 26. v. 28. Ita Daniel, cap. 9. v. 27. Confirmabit pactum multis hebdomada una: cum Luc. 22. v. 20. dicat tantum: Pro vobis fundetur. Pro omnibus passus est Christus: & licet pro omnibus, non dicitur pro omnibus effundisse sanguinem; quoniam reprobis adhuc illo, non consequentur salutem. Oritur Sol, & occidit: dicitur Eccle. 1. v. 5. Sol nec oritur, neque occidit sibi, sed nobis; & ubi nostrum evanescit emolumentum, ibi signamus Solis Occasum. Vide Gasp. Sanctæ ad illud Ierem. 2. v. 12. Obscuritate cæli, & porta eius desolamini vehementer. Quapropter de domo Israel Ezech. 22. v. 24. dicitur: Tu es terra immunda, & non completa. Ubi Septuag. Tu es terra non irrigata, nec pluvia facta est in te. Haud quia Deus non praestitit; sed quia non profuit. Ita intelligendum Disperdam eos cum terra: scilicet, terra aquis non apparebit: peribit ad usum sub aquis, quasi toto tempore Cataclysmi non esset.

Audi Daniele Heinsum Exercitat. Sacr. in 2. Petr. 3. v. 5. Quod de Diluvio additur (ait) nihil sanè ad cælos, in quos tantum abest, aliquid potuisse aquam, ut nec terra quidem fuerit subverta, neque alia, aut nova nunc sit. Perisse autem omnes qui extra arcam, etiam terræ spectem externam, ac decus, nemo equidem quod sciam, negat. Ipsam verò perivisse terram, ne Potentia quidem dicunt: ut qui in Diluvij descriptione canit (Ovid. lib. 1. Metam. v. 356.)

Pena placet diversa, genus mortale sub undis Perdere, & ex omni nimbo dimittere cælo.

Audi etiam Senecam delirium averfantem lib. 3. Quæst. Natur. cap. 29. Non semper ea licentia undis erit, sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter foris, in quarum homines ingenia transferant; iterum aquas terra sorbebit. & recessus è nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus. Antiquus ordo revocabitur. Omne animal ex integro generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspicijs natus. Hæc Senec. Nullo modo, quia nova in hominibus natura, sed quia rectis moribus illustrata. Quo sensu dicitur nova vita, novus homo. Vide Gregor. Magn. Homil. 32. in Evang. Unde Vates succinuit v. 347.

Sobolemque priori Dissimilem populo promittit (Iupiter) origine mira.

Et Iosephus lib. 1. Antiq. Iud. cap. 4. Genus novum & à vitijs purum. Quo intelligitur ipse ibidem ex versione Geleni, vbi ait: Continentem terram in pelagus commutavit. Haud quàm quia apparuit nova Continens, sed quia diebus illuvionis, uti canit Ovid. ubi supr.

Mare & tellus nullum discrimen habebant, Omnia pontus erant, deirant quoque littora ponto.

Quo circa ipse Iosephus in versione vulgari mentem aperuit, dicens: Dein continentem terram in pelagi faciem transmutavit: quasi postea facie sublata pelagi, faciem telluris renovaturus, ut canit David Psalm. 103. v. 30. Emitte spiritum tuum (idest ventum urentem, ut Exod. 14. v. 21. non solum ut instrumentum naturæ, sed etiam divinæ potentie) & creabuntur: & renovabis faciem terræ.

13 Aquæ ergo sepelierunt orbem; ulquedum reversa sunt de terra euntes, & redeuntes, & ceperunt minui. Ita Genes. 8. v. 3. Quid clarior? Considera proprietatem verborum: Reversa sunt de terra. A nova non poterant reverti, sed venire, ut ita dicam, seu separari, aut disiungi, ut appareret. Ceperunt igitur minui, quæ prevaluerunt super terram. Euntes prævaluerunt, redeuntes fecerunt, ut primò apparenter cacumina montium; postquam ut cælo terra ostenderetur, & athera terris. Vel Profanus videns quasi per nebulam, aliter non cogitavit.

Fluctusque & flumina signo iam revocare dato.

Accinit ubi supr. Antiquas suas sedes repetere: ait Alap. in 2. Petr. 3. v. 6. Nallatenus revocarentur, dato signo, ab expugnatione terræ, nisi in eandem prævaluissent. Ergo non du-

duplex terra, sed eadem à qua revertentur, levocabantur, & revocabantur aquæ.

Quoad externam speciem mutatio nihil novi affert: quotidie bis videtur in quolibet sabulo fluxu & refluxu maris. Causis singularibus sedem crebrò mutat mare, & antiquitas mutavit in aliquibus regionibus, ut visum fuit initio sæculi præcedentis in Zelandiæque in Phrisia Orientali die Nativitatis Domini, anno 1277. pars Rideriæ sepulta est usque modo sub aquis. Vide Blau in Novo Atlante p. 2. fol. 1. De antiquis mutationibus, & recessibus consule Plinium lib. 2. à cap. 85. usque ad 92. Senec. lib. 6. Quæst. Natur. Strabonemque sub fin. lib. 1. & latè lib. 8. quo sensu verè poterat Pythagoras exclamare:

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

Ægyptus mare fuit. Plutarch. de Isid. & Osirid. unde Seneca, Epist. 91. Aperta sunt fluctibus, que procul à conspectu maris stabant.

Mirum est, quod non promittat nobis Salas cælum novum, cum terra nova: siquidem autoritates de cælo etiam loquantur, de quo fusè infra. Si duplicem terram diceret, hanc viventium mortuorum, & illam coelestem feliciter viventium mysticè, vel analogicè, & minime inficias iremus: sed de hac ubi munit Jerusalem necesse est dicere renovatam fuisse & esse, non novam. Eadem ergo est, non alia, nec duplex terra. Hæc & similia novitiorum chimeræ sunt, partim ex putridis ossibus Cleantis, & Philolai excitatæ; partim ex tumulo & cadaveribus Pythagoræ & Heracliti, Democriti demum, & Metrodori, cum quibus sepultæ tot iam sculis iacebant. Ferales has umbras, & veri expertes evocare; non est mundum novis scientijs, sed antiquis erroribus ditare; nec magistrum fieri posterorum, sed discipulum veterum. Hæc Daniel Barroli ubi supr. §. Literalia Plagiarior. furta.

14 Etiam alius restat Achilles, seu Orestes, & furiosior. Libellus Gundifalvi Salensis fortè pervenit ad T. Burnetij manus; qui percussit femur, eò quòd Salas præoccupasset insaniam, ac furripuisset de phanatica inventione coronam. Ad pulsam citharæ Salensis saltat, debaccharur, accisat. Unde quasi Gundifalvus, non satis de duplici terra bilaterasset; de fincipite non sano insignem thesaurum anilium fabularum, inanium puerilium cogitationum loquantium fœdissimas vigil deprompsit. Terra (ait) duplex fuit, interior scilicet & exterior: nequaquam uti nos accipimus intimum & extrinsum; sed quatenus duplicem globum efformaret. Etenim terra non erat primò ut est modo. Orbis ultimus non coalescebat ex terra & aqua: sed terra interior in centro mundi posita cingebatur aquas aquam & terram interiori cinctam aquis, cingebat orbis terræ exterior visibilis totus habitabilis, ultra quem aer, ac ultra aërem ignis. Quo ingenio, seu potiùs phrenesi videbimus infra num. 26. Disparuit huiusmodi forma telluris per Cataclysmum: non quatenus aquæ absorberint terram, sed quatenus terræ hiscentes repletæ sunt infimis cinctis aquis. Ad somnium novum hoc cene ostendendum, ita detegit scenicæ cogitationis sparium.

Globus (inquit) totius habitabilis telluris (maior congregationis aquarum globo, & hic amplior terra interiore) crebris Solis ardoribus expositus, auctis nimis vaporibus calidis infra & intra terram (maximè quia hyems non erat) decursu temporis exsuccus, & summe aridus, ruptis compagibus siccitate tanta, haviit æstu; ac undique silis, est in aquas subiectas infeliciter everfus (Cum tæque fortuna vimam faciente debiscunt.)

Unde mutata est globi figura & orbicularis forma, sive globula terra: quippe terramotu facta, fracta, & contracta, partes eius in suppositam aquam deciderunt: ac cum terra esset maior, omninò non obruit moles aquarum. Quapropter ex minoribus fragmentis insulæ factæ sunt: & maioribus per longos tractus ductis, terræ continentes, quæ sunt (ut patet) insulæ maiores. Scopuli sunt analæcta, quæ tanta mole non sunt, nuda, saxea, atque infrugifera; sive sub aquis lateant, sive superemineant. Fragmenta verò leniter inclinata fecerunt campos & vastas planities; depressa valles: verum quæ terræ motu illo per auras volitarunt, sibi occurrendo fecerunt montes. Unde etiam sibi incumbendo dederunt iuga altissima, sive summa cacumina; quorum differentia pendet ab analæctorum dispositione diversa. Hiatus, sive in superficie, sive in corde terræ, orti sunt ex eo quod fragmenta dura non aptè ceciderunt, & vicissim sibi obviantia tractus vacuos, seu cuniculos efformarunt. Ita enim terra formam antiquam amisit, & præsentem hanc cene accepit. Quare diluvium Noëricum nihil aliud fuit, nisi huiusmodi terræ motus, telluris contractio & crepitus.

Astruit deinde fatuitatem, ex eò quòd multarum regionum terræ motu, & illuvione dirutarum, mensuramque memoria fiat. Palam sunt Sodomæ, & Gomorrah & finitime Civitates. Ex Platone in Timæo constat, Atlantidem insulam, Libiæ & Asiæ maiorem, aquis sepultam: alia etiam apud Insulinum lib. 2. Histor. & Plinium ubi supr. num. 13. Aliter quo pacto diluvium fieret? Unde aqua tanta Cataclysmi: Genes. 7. 11. dicitur: Rupti sunt omnes fontes aby-

Recessus, & accessus maris ad terram. Blau.

Plutarch. Senec.

Daniel. Bar.

Deliria Burnetij de duplici terra.

Ovid.

Plat. Insulin. Plin. Genes.

abyssi magna. Ubi est igitur huiusmodi aquarum vorago, fons, iter, sepulchrum, seu barathrum? Non est credibile, Deum terram, uti modò est, creasse: maxime cum in nostrum propositum dicat Petrus 2. Epist. c. 3. v. 5. usq. ad 8. Quod celi erant prius & terra, de aqua & per aquam, consistens Dei verbo: per que ille tunc mundus aqua inundatus perijt. Cali autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicij. Aliter non potest intelligi, nisi eo modo, quo diluvium à nobis describitur: liquidem ille tunc mundus (idest orbis ex aqua & terra exteriori) aqua inundatus perijt; quia Deus, uti est modò, non creavit. Hæc est summa delirij T. Burnetij, seu potius hæresion.

15 Omnia sub incudem demittenda sunt, ut flammescat veritas. Indubitabile est, formam telluris aliqua ex parte devenularam: experimur quotidie in qualibet alluvione; iccirco necesse fuit, ut maior esset in diluvio universali. Caterum absurdissimum, terram fuisse interiore circumdatam aquis; & exteriorem totam habitabilem, hanc & illam in gyro amplectentem: quoniam unicus tantum globus formatur ex terra, cum unicum sit mundi centrum: ut ait D. Thom. 1. p. q. 47. art. 3. ad 3. Aliter cogitavit Burgenis, in cap. 1. Genes. v. 10. fed perperam. Quapropter à Seneca lib. 4. Quest. Natur. cap. 11. vocatur Pila. Aquis ergo usquam abundat mistum corpus telluris, quasi venis tanti corporis: etenim cum summe arida sit, sine aqua dissolveretur, & non esset habitabilis: quippe gravior aqua deorsum descenderet dissoluta. Per aquam quasi per viscum ubique conglutinatur, & compaginatur. Vide Christoph. Clavium in Sphæ. Ioann. de Sacro-Bosco, cap. 1.

Prisci, ut Thales Milesius apud Senec. ubi dudum lib. 3. cap. 17. dixerunt: Terram aquis sustineri, & vohi more navigij, mobilitateque eius fluctuare, tunc cum dicitur tremere: subiecto humore portari, sive illud Oceanum voces, sive Mare magnum, sive alterius natura simplicem aquam. (si inquirimus in hac sententia: Quodnam fundamentum aquæ? quid diceretur à Thalete?) Scriptura varijs in locis videtur huic cogitationi favere, de quibus faxò genuinè. Verum hoc, sive falsum, sive verum, somnio refragatur Burnetij: quoniam etsi signat terram super aquam, que eyanuit in insulas; tamen assignat terram interiorem sustententem molem aquæ, supportantem molem habitabilis terræ.

Unà enim infimum construant hunc orbem, quia non habent nisi unicum centrum. Unde Manilius lib. 1. Astronom. vers. 48. cap. 2.

Ultima subsedit glomerato pondere tellus,
Imaque de cunctis median tenet undique sedem,
Iccircoque manet stabilis, quia totas ab illo
Tantundem refugit mundus: fecitque cadendo
Undique ne caderet. Medium totius & immo est.

Et idem ibid. cap. 3. v. 10.

In nullo ponat vestigia fundo:
Nec patulas discenta plagas: sed condita in orbem
Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.
Hæc est natura facies.

Quo proclivè intelligitur illud Psalm. 103. v. 5. Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi. Eccle. 1. v. 4. Terra autem in æternum stat. & Job 26. v. 7. Appendit terram super nihilum: quin in ullo ponat vestigia fundo, quia iaceret in centro; ad quod tanquam ad medium ex ubicumque fertur, non solum illa, sed omnia, ut tradit D. Thom. ubi sup. q. 47. Unde oritur ratio cur Antipodes nostri non decendant, imò ibi, sicut Nos hic, firmè consistant: quoniam si consistere requirent, in cælum locum superiorem cadent, quod est contra naturam gravium tendentium in mundi centrum. Non est ergo mirabile, illos non cadere: sed potius oriretur admiratio, ex eò quòd ascenderent usque ad æthera cadendo.

Auctoritates que videntur aspulari sententia Thaletis, desumuntur ex Psalm. 23. v. 2. ubi: Ipse super maria fundavit eum, idest orbem terrarum. Ps. 135. v. 6. Qui firmavit terram super aquas. & Exod. 20. v. 4. Non facies similitudinem, nec eorum, que sunt in aquis sub terra.

Verum sensus earum distinctus à concepto constabit inveniunt diversas acceptiones Super in Scriptura. Multoties accipitur pro Simul, Unà, Cum. Exech. 16. v. 16. Fornicata es super eis, hoc est, cum eis. Luc. 10. 6. Requiescit super illum pax vestra. Idest, cum. Isai. 62. v. 5. Gaudabit sponsus super sponsam, & gaudebit super te (tecum) Deus tuus. Ita enim dixerat ibid. Habitabit iuvenis cum virgine. Ubi Hebr. pro Cum, legit Super. Sic Alia. Quapropter terram fundatam, & firmatam super aquas, idem est, ac cum aquis: quippe simul cum aqua efficit unicam spheram, ad æris, & ignis distinctionem; quorum singuli consociunt singulare.

Deinde, Super interdum accipitur pro Contra. Ioann. 3. v. 36. Ira Dei manet super eum. Idest, contra. Iudic. 16. v. 14. Philistijm super te Samson. 2. Reg. 12. v. 11. Suscitabo super te

Petr.
Apo.
ho.
Apo.
Apo.
Apo.
Unicus orbis formatur ex terra & aqua.
D. Tho.
Senec.
Clav.
Thales.
Senec.
Terra non portatur ab aquis.
Manil.
Psalm.
Eccle.
Job.
Terra est medium & centrum mundi.
Psalm.
Exod.
Super pro Simul, Unà, Cum.
Super pro Contra.

malum. Luc. 10. v. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Idest Contra, ut patet Marth. 10. v. 1. & Marc. 3. v. 13. Super populum tuum malignaverunt consilium. Psalm. 82. v. 4. Quod explicat faxò: Cogitaverunt adversus sanctos tuos. Ita ergo terram aridam Deus fundavit adversus humiditatem aquarum, ut globus firmaretur ipsa oppositione contrariorum: Unde cecinit Ovidius lib. 1. Metam. Fab. 1.

Mollia cum duris — Humentia siccis.

& Manilius ubi sup. cap. 2. v. 2. 4.

Fitque hæc discordia concors,
Quam nexus habilisque, & opus generabile fingit.

Præterea & appositius. Super accipitur pro Iuxta. Psalm. 136. v. 1. Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus. Idest, iuxta flumina. Sic illud Ioann. 4. v. 6. & 21. v. 20. Sic supra fontem: Super pedes Isai. 60. v. 1. Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Hoc est, iuxta te orta est, nimirum in Bethlenem sex ab Ierosolyma distante miliarijs, ut notat Christianus Adrichom. in Theatr. Terra Sanctæ. Trib. Iudæ num. 58. Quare in sit v. 2. Super te (iuxta te) autem orietur Dominus, & gloria eius in plateis; legit, Super aquas. Promiscuè quidem Secus, & Super sumuntur, ut patet Psalm. 1. v. 3. Secus decussis aquarum; cum Ierem. cap. 17. v. 8. dicat: Super aquas. Idem Cantic. 5. v. 12. & Eccle. 39. v. 17. Patet aptior Auctoritatum expositio. Terra super aquas, non quatenus baiula sine telluris, nec hæc supportetur aquis: sed quia ita Deus in unum globum ligavit, ut circumcunq; hic atque illic, hæc & illuc, quaquaversus, quoquo latere, & aqua sit sub terra, & terra sub aqua. Ideo super aquas idem est, ac iuxta aquas. Videtur enim mirabile, quod terra, qua gravior, sit altior aqua & emineat. Unde David, ut Dei rutillet potestas, Fundavit (ait) & firmavit terram super aquas: idest, fecit superiorem aquis natura levioribus. Motus aquæ semper sit in declivorem locum. Quo patet, quàm dissonum, orbem terræ, ut statuebat T. Burnetius, aquarum orbem peniculis continentem: quippe quatuor flumina terra plana non fluere, sed itagnarent, cum non haberent quæ circumirent, nec quò se exonerarent: imò si fluere, & semper fluere, terras paulatim invaderent, cum exitus non haberent. Altiore igitur providentia, quàm cogitat Burnetius, Deus ex aqua & terra constituit hunc ultimum orbem: aquas iuxta terras: terras superiores aquis: ut occultis meatibus aquæ falsæ dulcescerent, ac prodirent, & faciem terræ aridam decursibus fecundarent, fierentque non stagna, sed flumina; quæ ad mare, unde clam exeunt, palam per terras revertentur, ut iterum fluere.

16 Hanc ob causam montes erant, ut per medium montium pertransiret aqua. Patet ex Geneleos cap. 7. v. 19. Operiti sunt omnes montes excelsi sub universo celo, & v. 20. Quindocim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Etiam cap. 8. v. 4. Requievit Arca super montes Armenia. Psalm. 103. v. 8. Ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem fundasti eis. Idem Psalm. 89. v. 2. Prov. 8. v. 25. & Eccle. 16. v. 9. Affirmat Chrysostomus Homil. 25. in Genes. & Ovidius ubi sup. Fabul. 7. v. 469.

Pulsabantque novi montana cacumina fluctus,
Perque diem longam nudata cacumina silva
Offendunt.

Quod Sacer Textus innuit dicens cap. 8. v. 5. Apparuerunt cacumina montium. Quare non terræ motu nec telluris viscerum eruptione facti sunt montes & colles, montana & valles, freta & hiatus. Cum his omnibus (sine quibus vacua & inanis in principio dicebatur, ut diximus num. 5. & 6.) fundavit eam Altissimus.

Itaque terra non mutavit, nec commutavit formam, nec habet aliam, quam habuit, & obtinuit à die, quo apparuit. Proin Berofus lib. 4. de Antiquit. Regn. Orbis, ait: Noa, qui Ianus, filijs designavit itaque illas tres partes orbis Asiam, Africam, & Europam, ut ante diluivium viderant. Terra non habitabilis usquam, sed terræ partes & regiones; quoniam à principio, ut asseruit Iosephus de Antiq. Iud. lib. 1. cap. 1. Mare undequaque circumfusa. Mare, montes & alia haud facta crepitu terre nimia siccitate: tum quia à calore æstatis refrigerabatur hyemes; tum noë; tum denique pluvij congruis temporibus pro qualitate regionum: & ubi nulla pluvia; pro copioso rore matutino & vespertino ad ortum & occasum Solis. Delirat ergo Burnetius, dum alius usque ad Cataclysmum hyemem non fuisse: igitur, ut dicitur Genes. 1. v. 14. Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem, ac noctem: & sint in signa & tempora (idest in signa temporum, per Hendiadyon) & dies & annos. Quorum munus in ris meminit etiam Senec. in Thyeste, Act. 4. v. 835.

Dux Astrorum sæcula ducens,
Dabit æstatis, brumaque notas.

Tom. I. Taut.

Ovid.
Manil.
Super pro Iuxta.
Adric.
Terra super aquis.
Montes erant ante Cataclysmum
Ovid.
Terra eadem forma, que primitiva.
Berol.
Ioseph.
Et ordo temporum.
Genes.
Senec.
Quod

Quod quidem Deus Noë expressit, Genes. 8. v. 22. dicens: Cunctis diebus terra, sementis & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, nox & dies (sicut à principio) non requiescent: sed continua erunt successivo cursu.

17 Tempora diversa erant, & verè fuit Cataclysmus, non hiatus vel terramotus. Fugit sycophantam Burnetium, quod non latuit vel Profanum. Ita enim de diluvio & cessatione Ovidius ubi supr. canit.

Hyper-
positi Ca-
tactismi.
Ovid.

Nec calo contenta suo est Iovis ira, sed illum
Ceruleus frater iuvat auxiliariibus undis.
Convocat hic amnes... Vires effundite vestras.
Sic opus est, aperite domus, ac mole remota,
Fluminibus vestris totas immittite habenas,
Iusserat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato voluuntur in aquora cursu.

Postque eleganti stylo succinit:

Cessatio-
nis.

Iam mare littus habet, plenus capit abveus amnes,
Flumina subsidunt, colles exire videntur:
Surgit humus: crescunt loca decrepentiibus undis.

Ita Iulianus lib. 2. Beosus lib. 1. Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. & Solinus cap. 37. Hæc appo-
sui, ut palam fiat, vel ex his auctoribus quam præposteræ sint cogitationes & Salensis, &
Burnetij. Illius asserentis diluvium factum recessu aquarum ab uno polo versùs alium. Hu-
ius, non factum aquis, sed disruptione telluris; cum contraria consentit ex Scriptura: igitur

Genes.
Perè &
proprie
fuit di-
luvinum.

Genes. 7. v. 11. dicitur: Rupti sunt omnes fontes abyssi magna & cataracta cæli aperta sunt.
Quare non merè per inundationem fuit Cataclysmus, sed verè fuit & propriè diluvium: nempe
ex aquis maritimis, & pluvialibus. Abyssus nihil aliud est, nec hic intelligitur, nisi con-
gregatio aquarum, idest mare, sive Oceanus, quem Paltes Regius vocat Mare magnum.
Psalm. 103. v. 25. Terra in principio facta fuit perfectè rotunda: die verò tertio, quo mon-
tibus ornata, in ea factæ sunt immensæ & valte concavitates, ut essent, quæ illam operien-
bant, & aquarum congregationes. Ita cogitavit Damascenus lib. 2. de Fid. Orthodox. & Chri-
stophor. Clavius ubi supr. Proinde ubi profundiores aquæ (quæ profunditas, seu vorago à
Græcis dicitur Tartarum, seu Barathrum) vel proximiores centro terræ, vel mundi; ibi ea-
rum dicitur Abyssus: nec sine fulcro Scripturæ. Exod. 15. v. 8. dicitur: Abyssus in medio mari.
Deuteron. 33. v. 13. Atque abyssis subsidente. Psalm. 32. v. 7. In thesauris abyssus. Psalm. 106.
v. 26. Prov. 8. v. 24. Daniel. 3. v. 55, & Luc. 8. v. 31. quibus & alijs in locis Abyssus intelli-
gitur res abstrusa & recondita, sicut est profundum maris. Ita Basiliius Homil. 2. in Genes. Augu-
stin. in Psalm. 41. D. Thom. in Psalm. 101. & 106. Vallef. in Sac. Philosoph. cap. 63. & deni-
que Conimbriceni. Tract. 3. de Meteor. cap. 9. Cataracta cæli (idest aeris) nil etiam sunt, nisi
nimia pluvia; quippe copiosum in Sacra Pagina exprimitur in voce cataractarum: ut con-
stat 4. Reg. 7. v. 2. & 19. Isai. 24. v. 18. & Malach. 3. v. 10. ideo Cælum, Sol, Luna, Deus, cre-
brò in Biblijs intelliguntur quasi abunde, & copiose. Quo facile percipies illud Deuteron. 33.
v. 13. & 14. (& alia huiusmodi.) De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli: de pomis
fructuum Solis & Lune. Sic cataractas cæli (idest abundantiam pluvie) interpretantur Chri-
stosolum. Homil. 25. in Genes. & Rupertus lib. 4. Comment. in Genes. c. 20.

Quid sit
abyssus

Quid ca-
taracta
cæli

Quid
etiam Po-
ma cæli,
fructus
Solis, &
Lunæ

18 Patet iam causa Cataclysmi, ad illud Burnetij, unde tanta aquarum moles? Haud
difficilis esset solutio iuxta opinionem antumantium aquam altiore terra; quia constat
positum aquis, ne transirent fines suos, & ne converterentur opere terram. Prov. 8.
v. 29. Psalm. 103. v. 9. Iob 38. v. 8. usque ad 12. & Ierem. 5. v. 22. Sed hoc est ad digitum Dei
confingent, quin sit opus. Falsum est terram minorem esse aqua, & hanc altiore tellure, ut
astruit Christophor. Clavius ubi supr. Alexander Piccolomineus Opus. de Quantit. Terra
& Aqua, ac Fernelius Ambian. in sua Cosmotheoria. Etenim iuxta Geometras circuli, seu
globi inæquales concentrici, nequeunt esse, quin minorem maior inclueat, unde patet aqua
minor terra, quia totius congregationis aquarum tellus est quasi concha: atque aqua altior
nequit esse; cum unum globum efficiat cum tellure, ut patet in Eclipsibus Lunæ. Ita D.
Thom. & lib. 2. de Cælo lect. 20. & 1. p. q. 1. art. 1. ad 2. Nos supr. num. 15.

Aqua ubi
est al-
rior, nec
maior
terra.

Facilius esset effugium in Bedæ sententia lib. de Rerum natura, Eugubini in Annotat. in
Genes. & Hieronymi Olearii in Genes. 7. v. 11. asserentium, aquas, quæ super cælos erant (&
ut verè aquæ signantur ab Augustino pluribus in locis lib. 2. de Genesi ad litter. cap. 4. & de
Genes. imperfect. cap. 12. etiam lib. 1. Confess. cap. 32. Rupert. in 1. Genes. cap. 22. Afcenius
Martinengus in Gloss. sua Magn. super cap. 1. Genes. Hieronym. Magius de Exustion. Mundi
lib. 2.

Aqua
verè su-
per ca-
lus.

lib. 2. cap. 5. & DD. Scholast. de Oper. Sex. Dies. cum D. Thom. 1. p. q. 68. art. 3. Quocirca
Augustinus lib. 2. de Genesi ad litter. cap. 5. ait: Maior est Scripturæ auctoritas, quam omnis hu-
mani ingenij capacitas.) Ruptis cælis, utpote corruptibilibus, fluidis & non solidis, in ter-
ras fragore ruisse, orbem inundasse, ac Cataclysmum universalem fecisse: quin obesse distantia,
seu decursus centum annorum necessarius in descensu ad terras, ut vult Christoph. Clav. ubi
supr. & Alap. in Genes. 7. v. 11. & in cap. 1. v. 16. ubi astruit lapidem molare à convexo Fir-
mamentum non posse ad terram pervenire; nisi spatio nonaginta annorum. Bono animo sumus,
si modò casus incipit, non videbimus. Non obesse inquam, quia ex tam longo tempore præ-
cipitari iussisset Deus molles superiores aquarum, in ultionem hominum impiorum. Facile
modò exponitur testimonium Petri. Cæli erant prius & terra, per qua ille tunc mundus
aqua inundatus perijt. Terra, absque eò quòd in eam prævaleret maris aqua: cælum cum
aquis, quibus ille tunc mundus perijt. Nihilominus tamen cæli qui nunc sunt, & terra eod-
em verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicij.

August.

Ad quid

2. Petr.

His sententijs non assentior: Primæ, quia Cataclysmus fuisset tantummodò inundatio; si-
quidem aqua sine pluvia terram absorbuisset, quod est impossibile, cum terra sit maior
aqua. Secundæ, quia solummodò fuisset diluvium ex aquis è cælo delapsis: ac ut vidimus
supra, diluvium factum est ex aquis maritimis, & pluvialibus ruptis fontibus abyssi magnæ,
& apertis cataractis cæli. Facilius est dicere, vaporum copiam converterim in aquam con-
focisse pluviam immensam, & aquas abyssi fuisse rarefactas, sicut in principio operientes ter-
ram, condensatæ sunt in locum unum, ut apparet arida: & post diluvium, ut iterum appa-
reret. Intentus fuit huiusmodi Cataclysmus à Deo ultore, & non viribus naturæ, nec casu (ut
intendit Burnetius) sicut nec destructio Sodomæ & aliarum civitatum per pluviam ignitam,
cuius natura non capax, sed potentis manus Dei. Ad illud de Atlantide Insula, respondet
apud Plinius lib. 2. cap. 90. Si Platoni credimus, Bellè. Non credimus Platoni.

Unde rã-
ta aqua-
rum mo-
les in
univer-
sali di-
luvio?

19 Auctoritas Principis Apostolorum propugnaculum & Salensis & Burnetij, ut deci-
dant à cogitationibus suis (siquidem cogitatione sine intellectu) evinceranda est; ut constet
eorum fatuitas Scripturam, in aula prudentium: etiam, qui sint cæli novi, & terra nova, de
quibus non solùm Petrus, sed Iudas 65. v. 17, & 66. v. 22. ac Ioannes Apocal. 21. v. 1. Inter-
pretatione igitur genuinè facta, videbitur perspicuè quid sit, Primum cælum & prima terra
abijt. Testimonia tam de cælis, quam de terris loquuntur: sed enthusiastatici ferrum, quo
candet, tenere renerunt.

Novum
quod
accipie-
dum in
Scriptu-
ra?
Pro mo-
do spe-
ciali.

Sciendum est igitur Novum in Scriptura diversimodè accipi. Primò in modo. Ioann. 13.
v. 34. dicitur: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Novitas stat in modo, quo
propter subditur: Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Ideo cap. 15. v. 12. Christus
ait: Hoc est præceptum meum (cum iam constaret ex Levitic. cap. 19. v. 18.) ut diligatis in-
vicem: meum iure: quia modus specialis in substantia præcepti est sicut dilexi vos. Utrum-
que amplectitur Ioannes Epist. 1. cap. 2. v. 7. & 8. dicens: Mandatum vetus est verbum quod
audistis. Iterum mandatum novum scribo vobis. Unde Iudic. 5. v. 8. legitur: Nova bella elegit
Dominus. Idest, novum modum præliandi: videlicet, De cælo dimicatum est: quia stelle ma-
nentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. v. 20. Marc. 14. v. 24. Sanguis
novus Novi Testamenti. Hoc est, Novum Testamentum in meo sanguine: dicit Paulus 1. Cor.
11. v. 25. Quo sensu Nova creatura, Galat. 6. v. 15. Novus homo, Ephel. 2. v. 15. Cor. & Spi-
ritus novus, Ezech. 18. v. 31. interpretanda: de quo Nos fuissemus Tautolog. 5. num. 24. in Expo-
sit. Lit. Deinde Novum dicitur quod renovatum, de quo Nos late ad illud Ierem. 4. v. 3. No-
vate novale, Tom. 4. Tautolog. 13. Hinc Nova dicuntur fruges. Genes. 13. v. 4. Numer. 18. v.
26. & Ezech. 3. v. 15. Quod patet ex Psalm. 103. v. 30. ubi Emittes spiritum tuum, & crea-
buntur. Non stricta creatione, sed novitate: quapropter vocatur, Renovabis. Ideò dicitur,
Nova Ierusalem, Apocal. 21. v. 2. Cæli novi & terra nova. Ibid. Non quia creabit nova, sed
quia renovabit, illustrabit, seu purificabit. Quare ibid. v. 5. inquit: Ecce nova facio omnia.
Primum enim cælum & prima terra abijt; quia non erunt ut prius. Quo sensu etiam Va-
tes Sulmonensis lib. 15. Metam. Fabul. 4. v. 252. de renovatione Naturæ successiva ait:

Pro re-
novatio-
ne.

Rerumque novatrix
Ex alijs alias reparat natura figuras.
Nec perit in toto quicquam (mibi credite) mundo,
Sed variat, faciendque novat: nascique vocatur,
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante: morique
Definere illud, idem cum sint hic forsitan illa.

Ovid.

Verum hæc redolent Pythagoram. Modò ad rem.

Tom. 1. Taut.

B 2

Renov.